



Th 12^o 98

HERCVLIS

CHRISTIANI

LUCTÆ XXIV.

Psal. 8.

Quid est mortalis, quod memor sis eius? aut
filius Hominis, quod visites eum.

Præfecisti eum operibus manuum tuarum,
omnia posuisti sub pedibus eius.

Greges & armenta quotquot sunt, etiamq;
bestias agrestes, aves cœli, & pisces maris,
quicquid permeat semitas marium.



Sumptibus LAZARI ZETZNERI Bibliop̃.

ARGENTORATI.

ANNO M. DC. XV.

47

HERBES

[Andreas, Johann
✓

Valentin]



ARON

1721

FAVTORI SVO

O Fero tibi egregie vir phantas-
 ma praesens, in solitudine mea
 natum, monstrorum domans, ipsum
 verius monstrum: Inspice, examina,
 & qui eruditionem omnem possides è
 divitis ingenij penu profer aliquem,
 quem his exuviis amicias, hac armes
 clava. Mihi quidem quisquis pro-
 prior, optimus est, & alicubi habitan-
 tem sequar per mille miliaria. Vidit
 hac terra bonos aliquos & contempsit,
 quod mage desperationem mihi au-
 get, his locis similes expectandos. At
 tu qui in amicorum meorum catalogo
 humanitate, aequitateq; es precipuus,
 meritò Unus hac accipis, qua aliorum
 gravitatem reformidant. Somnium
 est, indeq; fortasse obscurius, quam ut

omnibus pateat, leuius quam ut alius
ingenium in eo divinare velit. Tuum
ergo vel meo edicto unicè esto, qui lu-
sus pueriles non fastidis, & conatum
in re minus frequenti laudare soles.
Sic te Hercules meus salutatur cum
Voto.

OH! SIS BEATUS.

T. E.

O.

L. V. A.

Siquid!

I
SPECTATOR SALVE.

SI quid est in hoc Universo, sub publica plerorumque invidia Christianus is est, quem Deus voluit supra cuncta elevatum. Nam ab eo tempore, quo nova adoptione, & cum Christo fraternitate inita, omnium est servitio exemptus, omnia exinde habet alienatiora, omnia in collectam amen conspirantia. Sathan qui alteras & adversas Deo partes tuetur, reconciliato Dei invidet, desertori suo iratus est, quem & quoquo ambulat ex insidiis petit, maculis saltem, si ultra non possit, amici Dei contentus. Mundus quibus est astutiis vel auro, vel honoribus, vel voluptatibus caelestem peregrinatorem licitat. Nec blanditiis ullis parcit, dum impediendi spes est: obstinatum denique calamitatum imbre perfundit. Caro domestica serpens tantisper inter curiositatis, alimoniae, sanitatis herbas luxuriatur, dum animae soporem, corporis strepitum audiat, nequaquam si se-

cas posthac sui socia sed noxia maximè ad-
 versaria futura. Mors omnium rerum
 acredo, & hominis per singula momenta
 arrosor, tum tandem dentes acuit, cum
 Adamicum omne absumendum est. Tem-
 pus articulis suis varium, sed nunc demùm
 senescēti orbi grave, eum præ reliquis pre-
 mit, cui beata aeternitas promissa. Sin re-
 liqua intueamur, labor ubiq₃, lucta ubiq₃,
 luctus ubiq₃; otium enervat, licentia attol-
 lit, consuetudines abripiunt, voluptates
 sollicitant, servitium aggravat, castiga-
 tiones turbant, desertio pudefacit, imita-
 tio annihilat, scientia inflat, securitas so-
 porat, hypocrisis fœdat, sapientia decipit,
 curiositas comburit. Labor absumit. Li-
 bertas extollit, affectus stimulant, Literæ
 confundunt, calumnia pungit, Matrimo-
 nium distrahit, artes obruunt, professio ir-
 ritat, cœlum deprimit, tantum est ubiq₃
 monstrorum, ut Hercules decem satis non
 sint. Atqui Christianus hos vincet omnes,
 aut vincetur, dign^o exinde vel æterno præ-
 mio, aut inevitabili ignominia. Gloria
 verò

verò

verò Christo, cuius viribus, sub cuius signis
hoc omne, aut si quid est amplius, debella-
tur, non certè inter Christiani delicias, sed
lachrimas sudores, vulnera. Multa sunt,
quæ deiciunt: sunt quæ plagas infligunt
non pauca; ut cicatricosus tandem & cru-
entus adferat, quod cœlites abstergant.
Sic ergò posthac, ò bone interpretaberis
Christiani felicem genituram, non quæ ho-
minem intra solitudinis hortos delician-
tem, vel induciis cum Mundo factis sibi
sufficientem præfagiat, sed militem cum-
etis humane vitæ monstris adversum de-
poscendum, nec nisi in publica adversita-
tum palestra reperendum. His beatis
Christiani agonis in præsens spectator, &
fautor aderis, ut quotidie exemplum ca-
pias Mundo contrarium, sibi accommo-
datissimum. Nunc mēte adesto, & verba,
quæ multum involvant, observato, dum
Natales Herculis nostri, postea pugnans
absolvimus. Inspice & Christiano
Christum propitium
precare.

A 4

Herois nostri Pater, universi huius Mo-
 narcha est. Mater castissima illa est
 Salomonis canticis honorata. Inde à Pa-
 tre ingenium habet sublime, origini affi-
 xum, infixū. at à Matre, quæ Mundo sem-
 per invisa, & in Patria exulans, vitæ huius
 amaritudinem. Natalis signaculum est
 Evangelii Solis exort^o, Lunarissq; luminis,
 inter varia mortalium dona, incremen-
 tum, locum cunis dedit. Ars ipsa; lac pie-
 tas; cibum præmandit Religio, crepundia
 fabricavit sagacitas; Lusus substituit Mun-
 di scena, gressus formavit Ratio, sordes
 absterfit virga; corpus involvit precatio,
 balbutiens exiit obedientia, Loquelam
 conscientia; Præcipitantiam pænitentia,
 oculos erudiit theatri huius pictura, Au-
 res mulsit Davidis cithara, Nares refecit
 sacri Chrismatis odor, palatum satiavit
 manna: sed corpus maximè sub aurea cru-
 ce induruit; Mentis Magister unitas, Ra-
 tionis. Veritas, voluntatis bonum fuit.
 Formam Dei imago, figuram Mundus
 magnus, motum Magnes ille sacer dedit,
 Annos

Annos immortalitas annumeravit, vires celestis character suppeditavit, curriculum suprema sapientia definivit. Tantum convenire decebat in Herculis Christiani periodo, tantum dabatur unius astri rotationi, tantum armorum, & arcanae tutelæ opus erat vitiorum domitori: At nos jam labores tota vita exantlatos inspiciamus.

OTII ET LICENTIÆ

Angues. I.

INfans etiam num erat, & in materno gremio lusitans, jamq; cunis suis reddito, soporem nutrix blandè advocabat, cū angues duo sinuosa giratione adreperent, Venenum & mortem sibilantes. Terror aliis, & inde fuga, nec nisi lethalis conflictus metuendus, tantum ajunt inesse inevitabilis toxici. Nomen illis *Otium & Licentia*, ambo eius lubricitatis, ut viros alioquin cordatos, nequicquam reluctantes haud rarò implicarint: sed præcipui in Christianam infantiam odii, ex quo He-

A 5

bræus Puer antiquo colubro caput cōtri-
vit. At noster pusillus, ovās primā gloriā
offerri, superavit prius, quam novit mon-
stra. Non illi taxilli, aleæ, lusoria folia in
manibus: sed penicillum, stilus, circinus,
libella, catechismus; non declinandæ pa-
lestræ ambages cogniti: sed directæ ordi-
nataq; viæ scholasticæ reciprocatio; non
frons perfricta, lingua in excusatiunculas
soluta, malè conclusis numulis insidiosa:
Sed rubor, confessio, metus, non malitiæ
in eo præfagium, crapulæ præludium, li-
bidinis scintillulæ, mendacii tyrocinia, im-
posturarum specimina, Avaritiæ signa,
superbiæ initia, iræ igniculi, invidiæ aculei,
sanguinis voluptas: sed simplicitatis, so-
brietatis, Innocentiæ, Veritatis, candoris,
liberalitatis, Humilitatis, facilitatis, socie-
tatis, commiserationis meri flosculi: qui-
bus ceu tenellis digitis anguem utrumq;
elisit, puncturas evitavit, conscientiam-
que verè candidam, cor-niveum, manus
innoxias juventutis annis tradidit. Felix
equidem hoc nomine dicendus, qui pri-
mis

mis

mis statim annis non tam melioris & innocentioris vitæ dulcedinem delibavit, neq; tenellum & nobile paradisi germem fordibus ætatis huius cõtaminavit. quam Luctam etiam cum vitiis haudquaquam sub divinis auspiciis insuperabilem est expertus. Utiq; felicior dicendus, si hanc candidam stolam nunquam terrenis maculis aspersisset.

T E M P O R I S C E R V A
Aripes. II.

N Ondum pubescebat, & cervæ aripedis fama aures pueri diverberavit, ardet & cuius alii pernicitatem voluptariis oculis usurpant, ille insequi audet, non arcum depromit, non jaculum parat, non retia tendit, sed pedum facit periculum: cætera si assequatur feram brachiis confusus, volat illa verius quam præcurrit, nec vestigia pulveri relinquit: & quo vehementius properat, puerum facit incitatio-
torem. Tempus quippe (hoc cervæ nomen) negligere, perdere, non facere lu-
crosum,

crosum, scelus illi, quicquid hoc orbis senio, æneis illud & luteis sit pedibus. Sic ergo apprehensam feram involat, sic amplectitur, ut exussus etiam cursum omnem atq; fugam oculis notet, nec divelli se ab ullo impetu patiatur. Itaque dum alii in tentoriis cuticulam curant, alii ob anhelantis bestiae furorem subterfugiunt, alii si cornu inflarint satisfacisse credunt, ille sudandum, congregiendumq; ratus, non applausus venationis spectator, sed felix peractor est. Lucrum illi inde, eviscerare cervam, sive huius terræ æstus remove, excoriare, sive velum arcano temporis motui detrahare, disseccare, sive in combinationes suas partiri, augurari, sive temporis signa annotare, anatomicè contemplari, sive temporis concentus exaudire, deniq; carnibus vesci, sive ad omnem horam, & fortunæ dolos, tempus sibi accommodare. Nonne laudanda hæc in puero venatio, ob quam optimo ex auro purissimo catenam accepit, rerum naturalium & divinarum continuam seriem,

qua

qua inter sodales ostensa, malis invidiam, bonis desiderium accendit, acut illis Seculi sui neglectum supinum exprobravit: ita his suo exemplo monstravit, quantum inter hominem, qui ætatem omnem deplorat, ac illum qui vincit, sibiq; tributarium reddit, discriminis interfit.

L E O C O N S V E T V D I

num. III.

MAjores anni plus ferii volunt minus ludicri, nec de labore Herculi circūspiciendum, adest, poscit, provocat: circūibat terram securus. (quod alius haud tenet, nisi cum clava.) Leo juba formidabilis, unguib. metuendus, & senio implacabilior factus, Herculem invadit, uter animosior incertum: illi præda, huic gloria, ambobus irt vires addit: sed & admiratio utrimq; tentatæ defensionis. Leo quem incolæ *consuetudinem* dixerunt, cum diu non sine ope luctatus esset, sensit tandem ingens inter alios & Herculem discrimen, sed jam jam discerpendus, & ferociam in

interitu ostendens. Insignis hîc gloria, ac maior quàm quæ à nostris pusillanimis expectetur, qui nescio quæ cõsuetudinũ impetum deplorant, atq; optimorum officiũ fecisse volunt, si inviti, veluti morum sui temporis torrenti innatantes, manibus porrectis opẽ inclament: nobilior quam quæ ostẽtetur iis, qui vestibus, epulis, motibus: qui titulis, honoribus, lingua: qui lusibus, blasphemis, jurgiis: qui artibus, studiis, libris: qui libidine, avaritia, homicidiis. Sic exacte seculo suo deserviunt, ut conducti dici possint, & Leoni nostro in lanienã destinatur. Et quot⁹ quisq; sic terras trásit, ut velut in pharmacopeia odoribus non inficiatur? aut nobilitatem probat absq; nobili supercilio? aut literas docet absq; dictaturæ somnio? aut rempubl. dispensat, absq; auri formicis? adeo nõ seculi tantum, sed distinctionũ, five ut vocant statuum cõsuetudines patimur, satis nobis excusati, si equalibus non simus dissimiles. Noster aliter, & devicto consuetudinis monstro ac ad rationẽ formari paratus, exuviis Leonis se circumvestit: cer-

tus sic ostentare dissensum suū, sic jactare dissimilitudinē glorioso illis exemplo, quicunq; sic vitam sunt instituturi, nō quæ ab annorum varietate, sive revolutione verius, formam mutuetur, sed cum universi centro immobili conspiret, ac quovis jactata basi suæ innitatur.

APER VOLVPTATIVM. IV.

INter hæc fortitudinis Herculeæ initia magnam famæ dedit materiam sævus quidem & spumofus aper: ille canum, venatorumq; cōtemptor, at frugum, & pomeriorum insignis devastator jam dudum Herculem irritasse debebat, at tanti primo non fecit, cum minus noxius esset, nec gloriam ex eo cōflictu affectavit, quam immanis ac invictus fieret nemori-vagus. itaq; sepes aliquæ solutæ sunt prius quam incaluit Heros. At jam pereat fæda voluptas (nomino Vastificū) quæ totidē ferè prostravit, quo habere oportebat impediētes, & expectatā juventutis segetem effodit: Si vineā ingrediatur, visi legitimū usū coinquinat: si honesti amoris hortos, florem

Florem & fruges sordidè depascit: si vi-
 ctus agros turpiter culmos & spicas con-
 culcat: Si triclinii mundiciem, rostro suil-
 lo omnia confundit, contaminat. Mife-
 rum est ea clarius explicare, atq; utinam
 pauciora huius essent in juventute nostra
 contaminatissima specula. Iam enim nec
 amicitia, nec Musica, nec convictus, nec
 virium, nec formæ, nec opum, legitimus
 nobis usus relictus est. omnia absumente,
 omnia coinquinante Voluptatis apro. Et
 ô fortunatos illos! quibus pro sepi, pau-
 pertatis, obscuritatis, servitii, ignorantie,
 conscientia murus est, quando paucis cõ-
 gressus cum setoso illo est persuadendus.
 Noster sanè animose audet, atq; sic trans-
 figit feram, ut undique terram cruentet.
 fremere ille, furere & fervere, ac grun-
 nitu socios excitare, quasi qui nemorum
 possessione inique turbetur. Sic est. Vo-
 luptas infamis, terrarum imperium affe-
 ctat, & ad primam dubitationem infrẽ-
 det, nedum contrarium conatum. Inte-
 rea divinarum opum prodigi sumus, ve-
 ræ vo-

ræ vo-

ræ voluptatis ignari, & inter inquinamenta odorem, saporemq; quærentes. Ac utinam extra nos saltem insaniremus, non intra nos porcarium toleraremus, qui nostris phantasiis, ineptiis, desideriiis, expectationibus, figmentis, elogiis saginamur. Macte Hercules, & agellos tuos à sordido suffossore securos redde: posthac uni Deo arandos, serendos, & quam frugiferos reddendos.

T A V R V S S E R V I T V T I S. V.

H Actenus in feris occupatio, at jam, nequis desit Herculi labor, sævire mansuetudinæ incipiunt. Taurus ingens armenti princeps pinguedinis mole nimia luxurians, anbilis abundantia effervescentes, furere nunciatur. Vix credulus hic Hercules: & vasto corpori non nihil irarum permittens noluit tandem pro tauri libidine omnia turbari. Itaque contra it, & quidni libertatis candidatus contra infame turpe servitium? Quicquid aspectamus, imperium in nos affectat, usq; ad res, me na-

ne nomine quidem condignas. Atqui aliter voverat Creator, & animam nostrā ad Regiam libertatem formabat, statim à Deo secundam: voluntatem five Amorem tuum intuere, quam nullius arbitrio subfit, quemne Deus quidem coactum, aut simulatum vult, sed liberrimum. At nos degeneres, & innata nobilitate indigni ad creaturarum pedes nosmet abjicimus, alter alterius vinculis, compedibusque applaudimus. Quid quod imperatores fingimus, fictos adoramus, adoratos cum gemitu & sudores humeris imponimus? Quid quod apertus, liberq; nemo placet? adulatores probamus, quos mendacii nostra conscientia convincit. Quid quod iis unice occupamur, quæ laboriosa sunt, dubia, volatilia, vana? Feramus ne opinionem dominari rationi, nummū virtuti, literulas prudentiæ, æstimationem dignitati, strepitum harmoniæ, licentiam obedientiæ, nomen rei, loquacitatem veritati, tumultus paci; scientiam operi? Fiat si cui libuerit. Hercules noster testatur,
hanc

hanc injuriam ferre nolle, ferre nō posse,
 & prædiis suis pulsurum omne servile pe-
 cus. Si prædia quæras, animus est, terram
 omnē cōculcans; Voluntas est, omnes car-
 ceres effringens, ratio est, omnia ad Deum
 librans. Sin caro quid tentet, ferendi sunt
 mugitus illi, dum cornibus abstineat, nec
 vulnus animæ intentet. Atq; utinā sic plu-
 res amissam libertatem repeteremus, nō
 forent tot diversarū opinionū factiones,
 non cæca ac hereditaria digladiatio, nō ca-
 pitales inter se partes: sed sub uno Christo
 liberrimæ unanimitas! At nos interim
 Herculem Taurumq; committamus.

AVES COGITATIO.

II. VI. VI.

Aliud erat quod fatigaret Herculem
 verius, quam armatum deposceret, &
 longa molestia tolerantem animum ex-
 pugnaret. Aves, aves ac ne quid miremur
 tanti numeri, qui terræ Solem eripe-
 ret; stridoris eius, qui somnum prohibe-
 ret, rostris & unguibus ad funden-
 dum sanguinem fabrefactis, illæ humana
 corpo-

corpora laniare assuetæ, cordium appetentes, cerebris infidiosæ aliquid in Herculem tētare audebant. Quid obscure loquimur? cogitationū æstus, fluctus, turbinesq; æquè Christianum laceffunt, quam vanitatis mancipia occupāt: nidificare alibi, ova parere & excludere, hic circumvolare, & molesto strepitu impetere audent. Nomina iis infinita sunt colores totidem, error in aere planè irregularis, jam veniunt, jam fugiunt, jam fluctuant, jam insident, jam pugnant, jam concinunt. Et quidni Herculem irritent? Nunc paupertas placet, mox Abundantia: Nunc toga, mox sagum, nunc palliolum, mox purpura, mox Theatrum; nunc tenebræ mox lux: nunc opacum, mox convexum. Nunc terra, mox cœlum; Nunc creator mox creatura, & quis nutantis animi & ebullientis species enumeret? Ardet tamē Hercules Divini verbi clamore: petit crucis lapidibus, confodit mortis Christianæ sagittis, & pro sacro silentio, beatoq; somno nihil non audet, nihil non excogi-

excogi-

excogitat, dū capiat vel disturbet infau-
 stas aves. At multum negotii hīc, in tan-
 ta avium fæcunditate, nec labor puden-
 dus Herculi quantum vis fortissimo. Sc.
 ubi tantillo extra quietis centrum evaga-
 mur, nec finis est, nec initium, nec nume-
 rus mobilitatis, dubitationum, figmento-
 rum, spectrorum nostrorum, circuli, qui-
 bus ab nihili filo in vanitatis aëre suspensi,
 errorum turbine agitamus, nusquam co-
 hibendi, nusquam figendi, nusquam in hoc
 Mundi vacuo suffulciendi, nisi centro no-
 stro, id est Christi redditi. Tum enim ob-
 firmatis probè sensuum fenestris exclu-
 duntur aves, ac velut ex insidiis profli-
 gantur: posthac præter singultus & stri-
 doris molestiam innoxia. Aucupium de-
 corum, ingeniosum, Utile, & quieti sacre:
 accommodatissimum.

A. QVILA RELABES.
centia. VII.

H Aud parum profecit Hercules, qui o-
 tio licentiaq; suffocatis, apprehenso
 tempo-

tempore, consuetudinibus cōculcatis, voluptate extincta, servitiiq; excusso jugo, silentium rebus suis intulit, at nescio quæ formidabilis Aquila cordis renati, vel succrescentis edax, dejicere hac felicitate fatagit: Corporis humani Prometheus, jam olim quadrupli, vitæ, scientiæ, gaudii & alimenti appetitu terræ allegatus, & liberationi anhelans, cordis puriorem massam sub Scholæ Christianæ periodo contrahit, & jam nescio cuius inusitati gaudii conscius, de libertate solida sperare incipit, dum illi, sive in charitatis Divinæ cōmercio imbecilliori, sive in sui æstimatione iniquiori, sive in sordium humanarum defectione tardiori, sive in itineris sacri peragrations cunctatiori, carnivora & carnifex aquila involat, ac turpi oblivione, fædaq; relabescencia cordis primitias devorat. O quam desipiunt, qui semel vitæ viam ingressi omnia secura credunt, semper profectum fingunt! admiranda res est, viam quam multi hora aut horæ momento confecerunt, alii quadraginta annis

annis

annis eundo, redeundoq; vix tandem & cum pudore sunt emensi, jam qui cespitarunt, qui corruerunt, qui omninò ab angusta semita ejecti, deturbatiq; sunt, quot miriadibus numerabimus? Illi verò qui sectæ alicuius nomen, qui ingenii aliquam scintillam, qui opus aliquod saltem non supervacuum, qui turbæ imitationem, qui epitaphii elogium viam salvificam credunt, tot tantiq; sunt, ut lachrimas citius nobis quam verba eliciant. At Prometheum miseratus Hercules, laudabili dolo aquilam occulte sequitur, & in ipso scelere, volatili arundine conficit. Egre giè, astutissima ea erat, nec nisi in penetralibus humani corporis indaganda, appetitu, non qui foris in lingua, sed conscientia notus prodenda, deniq; inter Promethei dolores deprehendenda: Telũ hoc a mem^o Divinæ iræ tonitru, quod relapsuros inclamat, cohibet, & tremefacit, corp^o sic solvit, ut posthac vita nō placeat nisi Deo profundēda, ars nō arrideat, nisi quæ è cælo; voluptas nō titillet, nisi quæ ex Christi vulne.

vulne.

vulneribus, venter nihil appetat, nisi cibum Angelorum. fiat, fiat ô Deus!

*CERCOPE'S IMITATIO.
nis & defensionis VIII.*

INter alios orbis afflictiores, tranquillitatis prædones, par fratrum erat Cercopes olim, nobis Imitatio & defensio dicti, lubricitate, versutiaq; pares, latrociniis haud dissimiles: sive bellum simplicibus movendum esset, sive veritati nebulae obducendæ, sive crudelitas etiam in debiliores exercenda paratissimi. Herculi sanè, quem & ipsum temeritas insana eorū tentaverat, ut qui maximè, exosi. Si culpam audire lubeat, prior tantus erat æmulandi exercitio, ut si Herculis os vellet; si Aristotelis scapulas, si Ciceronis pallorem, si Demosthenis balbutiem, representaret. jam huius lippitudo, illius claudicatio, alterius clamor, quarti cento, quinti sarcasmi, ultimi calamus arridebat, simulq; in scena agebatur. Excanduit primò Hercules, ad publici histrionis ineptias, & ma-
gno

gno malo terram liberari credidit, si abo-
 lita conjugationum, subscriptionum, con-
 clamationum, & ut explicatè loquamur,
 cæcæ, surdæq; sequelæ larva, Spiritus ubi
 vellet spiraret. Nam si ineptum est, nec
 excusabile, non examinata probare, non
 visa laudare, ac in iis, quæ aliunde, quam
 Divino eloquio relata habemus, deliciari:
 turpius verò & scelestum condemnare
 potius aut negligere, quàm experiri: qui
 excusabimus tot histrionicas vestes, &
 singulorum vanitatum numerosum fa-
 mulitium, quas assumimus, quibus no-
 men sacramentumq; damus: nisi forte ad
 excusationem satis credamus præeuntes
 sequi, vel trahi etiam ab iis, quod tamen
 Divina in utrosque severitas facilè refu-
 tat. Alter frater deterior incertum, sanè
 rigidior, ut qui singula verba nutus etiã,
 nã vosq; eorum, quos suscepisset, excusa-
 re, imò defendere conabatur, non cum
 molestia & dolore aliorum tantum, sed
 infamia, flagris, sanguine: quod ille sua-
 det, hic cogit, quod ille conscribit, hic

B

man-

mandat: quod ille probat hic sub anathe-
mate imponit; quod ille instillat, hic in-
trudit: Interim mortales patiuntur, incu-
rii volentes, solliciti coactè, nec licet de-
clinare tribunal, sub certa proscriptionis
pœna. Deniq; tamen ridet Hercules, ter-
riculamenta animadvertens, cartaceos
carceres, vincula è filo, fulgura è pelvi: &
quod revera decebat, Antichristianis si-
meis nuces projicit, quibus insiliant, & di-
reptione litigiosa spectatores delectent:
sc. bona nostra, famam, cruorẽ, memo-
riam, inter se dividant. Nos de thesauris
cæli securi, fraternitate Christi certi, sur-
rectioni confisi, & libri vitæ inscriptione
gloriosi, plus etiã quam illi exigunt abji-
cimus.

*DIOMEDES ERUDI-
tionis. IX.*

Hercules tuam fidem! Diomedes ty-
rannus grassatur, & equis cruentum
pabulũ quærit. Nos hostes sunt quibus
minatur, sed hospites. Non barbari, sed è
homi-

hominum flore. Non alieni, sed benefici, liberales, nutritii. Crudelem oportet esse, qui beneficienti mala rependat, fallacem qui fidei cōmissos circumveniat: atq; Diomedes eruditionis five seculi nostri scientia ea est, cui omnes, aut immani certè numero advolamus, apud quã divertimus, cui munera conferimus, cuius tandem equos saginamus. Hæc est illa quã quidam Molochũ dixerunt, cui ingenii felicissimis, & selecta indole sacrificatur. Illa hominis formationẽ, Naturæ claves, sanitatis panaceam, Iustitiæ libellam, cœli portas, ingredientibus promittit, cohabitantibus fumos vendit, conquerentibus plagas infligit, diffugituris Cælo Terraq; interdicit, permanētib. vitã per crudeliores equas eripit. Catalogũ audi: Pseudo-Ethica est, Pseudo-phisica: Pseudo-logica: Pseudo-Rethorica: Pseudo-Mathematica: Pseudo-Historica: Pseudo-Politica: Pseudo-Philologica: amplius Pseudo-Medicina: Pseudo-Iurisprudentia: Pseudo-Theologia: Et hæ gravidæ omnes sunt, fæcūdæ

B 2 omnes,

omnes, pullis concomitatae, ut exiguus certe sit inter illas verae eruditioni locus: illi puta, quae Deum honorat, Mundum disquirat, semet agnoscit, Stabulariam habet Typographiam, in vitam quidem illuc detrusam, at officio huic suo jam assuetam nec imparem. Pictura non minus famulatur, Architecturaque sc. ne desint, qui semper recentia ingenia equis objiciant; multis phaleris, & sonoro tinnitu titulorumque & graduum ampullis res agitur, omnia perstrepunt. Unus Hercules, nihil tot nolarum ludibrio motus, ingreditur, & interempto tyranno posthac equas indomitas faeno pascit. Hoc debebatur: non nobilem hominem ignobilibus bestiis cibum fieri; sed infessorem, rectorem, castigatorem etiam imponi, deliquo officium suum, quid & quantum deberet bajulis suis alimentis, probe nosse. si sic fiat, tempus, nummus, aetas, ingenium facile huc insumuntur, saltem anima sibi reservet, quod Deo & aeternitati impendat. Hoc quippe ab hospite nostro permis-

permis-

permissum habemus: deambulemus in palatio suo circumspiciamus, vasis & utensilibus utamur, sed ut alienis reddendis, ac omnino possessori longè inferioribus.

CENTAVRI ATHEIS-

mi. X.

VT Medicus contra diversos morbos, sic contra varia vitia Hercules imploratur. Nonstrum est in terris, nec homo, nec pecus, sed utrumq; , atque utinam alterutrum vel saltem non tanto numero obvium. Illi dejerare, luxuriari, occidere, furari ludus, commiscere sacra prophanis, cœlum terra, providentiam casu, ordinem sorte, ludibrium. Unus illi Deus *ov 7, 5*, quem speciosè & sumptuosè colit: unum Cœlum utilitas, à quo movetur: una terra, Herus qui alit; una scientia simulare: unus Doctor Machiavellus: unum exercitium ceremoniæ: una Biblia politica: Cætera quæ videt despicit, quæ

B 3

audit

ridet, quæ habet perdit: & id tantum credit, quod putat tempori accommodum. Hoc monstrum non transmarinum est, sed domesticum: non infame, sed honoratum: non rarum sed confertissimum; ut nisi Deus cohibeat, dudum facturus fuisset impietatis professionem. Et verò quid aliam professionem expectamus, quam ubi helluones, ludiones, thraones, mœchi Iuliani, Luciani, Epicuri in supremis subselliis eminent. Nos verò fileamus, dum Deus silet, quem illi reclamante conscientia negant: dum cœlo missa sagitta, vixisti Galilæe, invitis extorqueat. Hercules quidem, quantum unius vires sinunt contra centaurorum aciem est, & memorabili strage facta, fugatisq; reliquis id impetrat, ne ausint terras suas vastare ampli⁹. Illi in aulas, in castra, ad Plutonem diffugiunt: non ubi etiam nū honestati & Christo locus, sed quibus Sathanæ, Mundi, carnisq; infanis triga imperitat. Si pulsos hodie contubernio tuo velis, Divini Zeli fragrantia, universi huius testimonium,
Ratio-

Rationis humanæ lumen, deniq; atheorū
 funesti interitus, non cōmovent quidem,
 aut immutant, sed ab omni consortio sol-
 vunt. tanta est veritatis majestas, ut ho-
 stibus etiam gravis sit, qui ab inani men-
 dacio internis vulneribus quærunt leni-
 mentum. Sic Herculestutior, ac sub Dei
 metu ovans, illos tot gaudiorum afflictis-
 simos simulatores falsè ridet, qui ad eun-
 dem, quem negant, Deum contremi-
 scunt: cui leges dant Mundo, ejusdem ar-
 canas alias cum gemitu patiuntur: deniq;
 sua spe mortales ad immortalia tormenta
 descendunt miserissimi.

*ACHELOUS HYPO-
 criseos. XI.*

COmptior his & versutior erat Ache-
 lous ille transformandi sese in quam
 vellet speciem artifex, & affectata con-
 formitate nocentissimus. Facile est
 indicare hypocritam fuisse, nisi falsum
 fratrem malis, aut ovillum lupum.

B 4

Hic

Hic fœdera mera audias: pacta & unionis
 formulas dum asperior ventus afflat; si
 serenet, est ubi aut cedas, aut pereas. Deū
 nemo religiosius unquam coluit, charita-
 tem ferventius nullus exercuit, discipli-
 nam haud ullus exactiorem instituit, si
 eum interrogas, vel prima saltem facie in-
 tuearis: Interea nec Deus illi quæritur,
 nec fratris salus; saltem imperii amplitu-
 do, atq; propagatio. Hinc plenus est blan-
 dissimis verbis, & crudelissimis exem-
 plis: calamo mellito, ense ancipite. Ille
 i Herculis amicitiam ambit, haudquaquā
 i benefactorus: sed aut enervaturus invi-
 ctum robur, aut soporaturus pervigilem
 i sollicitudinem. Malè Herculi est, ne, si re-
 i nuat, infocialis & implacabilis audiat:
 si admittat, simul confutos dolos posteri-
 tati probet: tandem capita consignat, qui-
 bus stantibus stare simul possit amicitia.
 Nec fefellit Herculem prudentia, impe-
 travit quod voluit: apertum inimicum
 maluit, quam infidum fratrem habet, &
 hac unica injuria satis est Acheloo, ubi li-
 vorem

vorem prodat, & quem flagrantissimum ostentabat amoris ignem, restinguat. yah ineptos conciliatores, qui inter Christum & Belial pacem, aut inducias procurare tentat, rem tam iniquam, quam iniquissimam! Belial mundo imperat: Christus dissimulata Monarchia lubens servit. quis ergo expectabit inter Tyrannum & depressum, inter ambitiosum & humilem, inter opulentum & nudum verum consensum; & non potius illius varia privilegia, insignes prærogativas: huius multiplicia onera? hoc quærit Belial, Christo pacis promissione (quam tamen ipse nec habet, nec dare aliis potest) plura eripiat, & quod inter adversa invictum sentit robur, inter vitæ commoda languescere faciat. Quid prolixi sumus? Hercules versipellem illum prothea provocatum ac in arenam productum sic exercet, ut post-hac de astutiis suis ipse minus sentiat, ac aperti candoris, simplicisq; verbi vim admiretur. Sic intra terminos ille cohibetur, Herculeæ luctæ memoriam expave-

B 3

scens:

scens: nobis verò sui irrisum, nostri obser-
vationem diligentio rem relinquens.

*ANTÆUS HUMANÆ
sapiētiæ. XII.*

Quis credat uni toties conflictandum,
imò quis sustineat nisi Hercules? Nam
qui Christo semel nomen dedit, & fide-
litatē ore ac opere profitetur, adversa ha-
bet saltem non omnia & imbecillitatis
suæ conscius, libenter alieno & arcano au-
xilio victorias adscribet. Quem hic pro-
ducimus, potius qui nos protrudit Antæus
est, terræ filius, & exinde terreni globi
hæres, carnalium dictator, verè ut inter
cæcos Strabo, sic inter mundanos tene-
briones ille dominatur, & immani ap-
plausu facem præfert. Et quis hic non a-
gnoscat humanam sapiētiā, illam, illam,
quæ tot Deorum examina, tot mendacio-
rum regulas, tot fabularum axiomata,
tot vanitatis aphorismos, tot iniquitatis
leges, tot rationis deliria, tot phantasiæ
somnia, tot divorum miracula, tot here-
leon

seon figmenta, tot imperiorum jura, tot nequitiae privilegia, tot nullitatis elogia, tot voluptatum genera, tot ambitionis monstra, & quis finis sit, tot impietatis pigmenta, scelerum fulcra, & Antichtisti thronum nostrae credulitati imposuit, & terrarum orbi pestilentissime immisit? Mira res est, at vera, quoties hoc monstrum ad terram projectum est, aliorum spe comminuendum, resumptis maioribus viribus surrexit, & certamen instauravit. Projecerunt Sethitae, Semithae, Isacitae, Jacobitae: projecerunt Patriarchae, Prophetae; Veritatis Doctores. semper a Matre relectus, vel resuscitatus etiam antagonistas fatigavit, & nonnullos divino cultui eripuit. Hoc enim Idololatriae ingenium est, accommodare se cuiusvis credulitati, servire cuiusvis libidini excusare cuiusvis errores, admirari cuiusvis ineptias: sed haecenus dum terrae haeret, & ab ea succum inspirationemque accipit. Itaque medium Hercules arreptum, in liberum Divinae lucis aërem sustollit, sublatumque

B 6

tantis-

tantisper premit, dum expiret: & hoc est quod pellucidum olim dicebatur mendacium, ac tenue, quod nunquam ad solis radios sese explicat, alioquin inanitatis convincendum. Sic ergo humanam sapientiam intueamur, tanquam meras imposturas: sic jactationes eius, tanquam jocularares: Sic minas tanquam catelli latratus, de reliquo in solida Dei notitia securissimi.

BVS IRIS CVRIOSI-
tatis. XIII.

Quieturus orbis videbatur diminuta Diomedes tyrannide, pudes factis centauris, detecto Acheloo & Antæo suffocato, nisi veniret, & torqueret Buisiris, reliquorum facile compendium. A Diomede habet præscientiæ, imò omniscientiæ, felicitatis summæ; potentiæ infinitæ jactantiam: A Centauris Divini numinis prophanationem: Ab Acheloo inexplicabiles & subterraneos fallendi meatus: Ab Antæo divinitatis alicuius, & supremæ excellentiæ simulationem. **Magna nempe**

nempe & malis conferta pestis, humanæ
 mentis incendium. Curiositati jam olim
 & hodie nomen est, etsi non abundè de-
 scribens, & multiformi monstro satisfa-
 ciens. Nunc enim in vocabulis & literarū
 pictura scrupulatur: Nunc numerorū in-
 solita calculatione occupatur: Nunc spiri-
 tuū familiaritatē appetit: Nunc memoriæ
 cathenas fabricat, nunc speculorum ludi-
 bria consulit: Nunc Naturæ obstetriciam
 jactat: Nunc sortium & divinationum
 sexcentas species tentat: semper quidem à
 Deo, sed plerunque à se ipsa dissentiens.
 Quis miser & insanus mortalium conatus,
 hic velle scire etiam cum cœlestis Acade-
 miæ jactura, quæ scire negata nobis sunt,
 & consulere eum, qui tenebrarum pari-
 ter, & mendacii pater! Atqui hic mera oc-
 cultæ rarioris, diviniorsq; scientiæ glo-
 riatio. quæ si omnia introspicias, post lon-
 gam in reliquis inscitæ exprobrationem,
 & universalis reformationis cassum titu-
 lum, nil nisi mera & affectata tenebrosa
 verba, ac una infelicem, turpioremq; cre-

B 6 duli-

dulitatem invenias. Quasi Hermetis, Pythagoræ, Orphei, vel pronunciata saltem nomina tam formidabilia nobis sint, quæ simul imperitiam nostram exagitare, illorum admirandum acumen probare nobis possint! Non imponitis Herculi: ille plana & Dei vestigiis pressa calcataq; via progredi certus, & minuti illius spatii, quod inscitiae nostræ injunctum, patiens hoc discit, atq; indagat, quod Dei verbum, eius fideles interpretes resipit, de reliquo humani cerebri furtis, tantum abest æquus, ut iratus. Itaq; in ipso ingeniorum macello ad suasmet aras, & sacrilegi cultus adyta, hospitem hactenus lanium, Busiridem matat, justioribus flammis absumentum: Sic ad Deum futuri vera prænotio redit: homini præsentis prudens tractatio allubescit: Et ad Christi nutum, Christiani usum omnis hæc machina circumvertitur.

STABULUM OPINIONUM. XIV.

N Aribus cavete sordes tractabimus. Mun-

Mundus immundus ille, & inquinamentorum sentina, si cum Augiæ stabulo cernet, tanto relinquet intervallo, quantum sex mille anni à pauculis, & boves innumerabiles à ter mille differunt. O nos infelices, quibus omnis finis, tot annis à tot armentis redditus, velut opulenta hæreditas cessit, quibus maiorum errores omnes iusta possessione influunt, ne quid agris miseriarum nostrarum desit fecunditatis! Et purgatum tamē bovine hoc Deus nonnunquam ivit: alioquin in hac camarina nobis demergendis; semelq; diluvio dudum: igne aliquoties lustratum, cladibus interea frequenter exoneratum voluit. Quæ inde nobis sit commoditas, vel ex eo judicabimus, qui unius nostri seculi descriptione obruimur, nullo dubio planissime impares si tot impietatū, & monstrosæ atq; abominandę præteritæ nequitia exempla, nostram præsentem ætatem armarent omnia, provocarentq;. Scena fortasse eadem Sathanæ, Mundiq; fabula semper agitur, nunquam melior, saltem tectior: nunquam deterior saltem



apertior. Sed nos hic severiores sumus,
 vanitatem potius nostram rideamus, quæ
 Herculem exportantem fatigat. Itemus
 hic & otiose contemplemur hominem
 laboriosum, tolerantem, & sub unico spi-
 ritus suffitu in fætoze occupatum. En lu-
 dæorum alteram Messię expectationem,
 Turcarum monstrosas visiones: Gentiliũ
 aniles fabellas: Antichristi nequã impo-
 sturas. Magnatum iutolarabile superciliũ:
 Hispanorũ imaginaria Monarchia: Chri-
 stianorũ jcnomachiã: Iesuitarũ scapellos:
 Papistarum ligas: Politicorum Utopias:
 sacrificulorum oracula & anathemata: se-
 ctarum fundamenta: Legistarum glossas:
 Medicorum doses: Philosophorum cer-
 tamina: Scholarum clamores: Indoctorũ
 calamos: Sciolorum judicia: Poëtarum
 lasciviam: Cosmographorum monstra:
 Historicorum adulationes & mendacia:
 Criticorum manuscripta: Chimicorum
 miseriam: Grammaticorum famem: Lo-
 gicorum laqueos: Rhetoricorum sche-
 mata: Mathematicorum circulos: Fabu-
 larum

larum

larum testimonia: imposturarum experimēta, Evidentiæ disputationes. O finiamus, & cum Hercule respiremus! nam si corbes omnes numerandæ sint, non quot illud magnum, sed hoc minutum corporis nostri stabulum implere posset, tot Herculum opus foret, quot sumus homines, at jam defectiorem aerem repetamus.

HESIONE IUVENTU-
tis. XV.

T Errena huiusque monstra debellavit Hercules multisq; coronis onustus felicitatem seculo suo, famam & immortale nomen sibi procurasse visus est, at cuius universa vita colluctaminibus decreta erat, ei Mare quoq; laborem ac inde gloriam debebat. Hesionē ad scopulum immobilis exposita, sub ceto vigile, varie inter maris sevitiem, & aëris intemperiem affligebatur. Causa damnationis infæstæ illius babilonicæ turris paterna extructio erat, confusionum omnium occasio. Mare carcer factum est, in maiorem horrorem,

rorem,

rorem, & liberationis difficultatem. Lucem inferamus. Mare Mundus est oestro percitus; scopulus, vitæ genus; cathenæ venter; Cetus, Seculū, Hefione innocens juvenus. videmus nempe quæ nobilioribus ingeniis, melioribus animæ scintillis, sagaciori juventutis reluctantię vis subinde fiat, dum ad nostras vitæ distinctiones, ad nostra, præscripta, ad seculi morem alligantur. Nihil hic à spiritu, nihil liberum nihil Deum internè exaudiens; omnia ex tripode allata, injuncta, credita: vitæ genus secum adfert sermonis formulas, opū dimensum: delinquendi licentiam, vestitus exemplar, scientiæ complexum, vanitatis exercitium, tituli jactantiam, peccatorum excusationem, propagandi rationem. Hæc tam validè inumbrant juventutem, sub cuiusvis seculi, peculiari tyrannide, ut libèter collum subdet, ad scopulum ligata maneat, nec nisi serò de liberatione cogitet. Superest Hercules succurrat, & pacta ac præstita solutione doceat, non tanti esse scire, quæ illi docent,

agere

LIBRARIUS

agere quæ illi jubent, habere quæ illi donant, sequi quæ illi præscribunt, exprimere quæ illi suo exemplo reliquerunt; sed ad veritatem, & Christi, fidelium suorum imitationem omnia nostra longè feliciter formari. Et sic quidem ridiculi erimus, at cautissimi annorum nostrorū dispensatores, qui non cariosam senectutē, & corpus ab omni impostore deceptum; sed floridam & crucis exercitio parem juventutē, Christo adferimus.

A M A Z O N E S A F F E -

Et in 1177. X V I.]

O B unicum bonum multiplex invidia: sic Herculi ab una victoria, numerosum odiū. Hefione nec ipsa grata, in libertate sua tripudiat. Hercules maledicta audit, provocationem aliam excipit. Quatuor Amazones, affectuū intra nos tumultuantium typi, bellum instaurant, & quadripartito exercitu Herculeas terras invadunt, Signa ducunt amor, ira, spes, metus:

metus, implacabilia quidē inter sese monstra: sed in Herculis necem conspirantia, nec facile credatur vel contemnere, vel superare, licet feminas: tantum est ubiq; stratagematum, tantum insidiarum, tantum cohortum. Quis est qui non amoris vertiginem, iræ flammias, spei insomnia, metus titubationem sit perpeffus? Pudeat nummolorū tinnitu capi, tituli crepitaculo gaudere, bucella adipe triumphare, luti pigmentis extolli, at hic nescio quid maius est, affectuum fasces excutere: facile sit nescire, egere, latere, laborare, abstinere: sed Amazones exclusisse gloriosum sit. qui odisse enim possis rem amatam, qui amare rem molestam, qui oblivisci emicantis boni, qui vultum probare minitantis mali? Adam amicissimus profligandus: inimicus molestissimus invitandus: Mundus liberalissimus impugmandus. Mors terribilissima in perpetuum vitæ consortium admittenda: Carnis flamma restinguatur: Invidia aculei excipiantur: vitæ commoda negligantur: Corporis tormenta expetantur.

quæ hæc dura fors est! dura equidem, quibus in Divinis Paradoxis nihil studii, nihil saporis, nihil exercitii, aliud est sub his involucris, & verborum terriculamentis, quod pius nemo subterfugit. potius amplectitur, deosculatur. Herculem intueri, quam is ad pugnam profilit, nequaquam trepidus, vel de victoria desperans, aut in certo exitio furiosus? Ut glacies rigescit, & secures etiam hebetat; ad solis calorem liquefcit tenui pluma conterenda: Sic quicquid sub hoc Mundi boreo robur jactat, aut divinū iter intercludit, magnum mole, durum ad speciem, lubricum aspectu, at revera facili caloris cælici nisu dissolubile est. Infelix ille, qui arma abjicit, ac merito, iis qui venerunt, videntur, vicerunt deridendus.

GERTON PROFESSIO-

nis. XVII.

Nunc regnum repetendum est avitum quod Geryon tricorporeus Rex hactenus occupaverat, homo exactor, & imponendis vectigalibus ingeniosus, tributo-

butorum imperiosus. Regnū Herculeum
veram sapientiam appellamus, quod Vir-
tutum Christianarū satellitium admini-
strat. Cives eius discant divinum quadru-
plex volumen evolvere, sciant animæ &
Corporis Rempubl. pacificam servare,
audeant cum Patriæ hostibus fortiter di-
micare. Hoc sacramentū societatis Chri-
stianæ esto. adorare Deum, credere Chri-
sto, audire spiritum, & hæc omnia sincera
dilectione copulare. O quæ temporis fe-
licitas nobis naturalem Dominum resti-
tuet; expulso Gerione tyranno! Ille ne fa-
cer nobis erit; qui inter verborum con-
flictus, & pietatis simulacra pinguescit,
non vero qui sublata cruce, crucis Princi-
pem insequitur, crucis bajulis præit? ille
judex nobis erit, qui congestis opinionū
& conjecturarum montibus alicubi pro-
tuberantem veritatem amplius obruit;
non vero qui pacem, & æquitatem sedulo
procurat? Ille corpori ægro consulet, qui
inexploratas creaturarum vires cōmiscet,
cum humanis membriscōmittendas, non

vero

vero qui universi huius anathomiae & examinis est peritus? ille Naturae interpres nobis erit, qui unius & alterius libelli studiosus, vel potius memorator id nescit, quod sit, non vero huius universae machinae inspector, veritatis discipulus? Ille nemores nostros formabit, qui ad arbitrium cuiusvis lucelli, aut periculi, Serenitatis, aut tempestatis fluctuat; non vero qui eundem vultum blaadienti & tonanti Mundo obvertit? Ille de rebus mortalium iudicabit, qui in quodcumque ingenii opificium incidit, illo demergitur, ita admiratione absorptus ut mundi universis opinionibus, conquisitis elogiis praeferat; Non vero qui intra se omnium centrum & originem, extra se omnium concathentionem animadvertit? Sed bene habet posteaquam sub D. Luthero (nobili caractere nostri seculi) & aliis in cunctis facultatum artiumque generibus fortissimis athletis, reditus ad patrias terrarum sedes Deus aperuit, ut jam meticulositate longum valere iussa, veritatem importune exigamus, impetrata ad
Divi-

Divinum lumen denuo examinemus; approbatam denique securissimè possideamus. Quæ nostra exoriens felicitas, etsi minus ubiq; perfecta, sic tamen nostra spe Ægyptiacam præsentem servitutem, captivitatemq; Babyloniam solatur, ut mitius feramus Geryonis jugum, dum de jure regiminis inter nos disputare, & Christianæ eruditionis nomen, sive jus civitatis Hierosolymæ profiteri liceat, Nunc vero Hercules Geryonem impugnat.

CERBERVS CALV-
mnia. XVIII.

Hercules terrenis marinisq; monstris exercitus, undique victor, parum interesse jam credit, sive homines, sive infernales irritat: undiq; tanta implacabilitas est, ut nisi plane conculces, nõ desinant sibilare viperæ. Errant quippe, qui dum nimium Mundo cedunt, juri suo paulatim renunciant, & incommodiori se pugæ loco sistunt. Palam increpandus est, qui

est, qui cum omnia facit, corp^o rodit, jam ante vermibus debitum, animæ libertatem impediendo promovet. De Cerberi itaq; sive calumniæ tricipitis latratu sic judicat Hercules vinciendam illam, & in superiorem lucis auram protrahendam. vah monstrum hic ambitiosissimè excommunicans, ibi polemicè exagitans, deniq; imperitissimè dijudicans. Nihil Momi habet agrestioris veridici: nihil Pasquini falsioris perstrictoris: nihil Diogenis, rigidioris censoris; nihil Rabelasii irreligiosioris comici; turpior impotentiorq; bestia est, & tenebris convenientissima. nam ad lucem producta, aut speculo admota sua necatur deformitate. vires si fortè quæras, nullæ sunt: vox præterea nihil, nisi id Christiano molestū est malis displicere, imperitis invidendū, prophanis formidabilem esse. At impedit purpurea opercula, & papiraceum cœlum, & consiliū pseudodeorum; & pulpita betularea. Sine sit, & suas quisquillas quo potest vultu torvo ec hiante, inter suos distribuat; nobis verò

C

recti

recti consciam mentem & veritatis ahe-
neum murum relinquat. Quid aliud co-
naris? placare? imo amplius irritas; evita-
re? ne in Dei quidem sinu poteris; exora-
re? plus intumescet; superare? nimiū vo-
calis est; ferre? aures tibi obtundet. super-
est ridere, quo uno excarnificatur, & in
latibula sua viam repetit. Successit id Her-
culi, posteaquam in protrahendo ostēdit
vires, monstravit & in exagitādo ingeniū,
noluit interemptum latrantem canem,
vel quia aliud nō didicisset, vel quia expe-
diret audire, qui nobis insint nævi, vel
quod amaret his ineptiis hiantem vulgū
saturare. Postea in opaca sua remisit tur-
pitudinis propriæ imagine satis castiga-
tum, & porro tacito inæqualitatis cum eo
quem allatrasset, morfu, cruciandum,
Atq; ita simul Hercules periculum in ri-
sum conversum est.

HYDRA INFELICIS
conjugii. XIX.

QUæcunque hæctenus producta sunt
mon-

monstra negotium sane fecerunt Hercu-
 li: at breve & tolerabilib. terminis absol-
 vendum, quod jam Amphitheatrum sub-
 it, patientiam & fortitudinem omnem
 fatigat, & velut ferrugo durissimū metal-
 lum absuit, gutta cōtinuè destillans lapidē
 perforat: sic invictū etiā robur paulatim
 languescit. Eius aspectū vah quot infeli-
 ces mariti exhorrescunt! & hunc unice in
 terris miserrimum cōclamitant qui malè
 nuptus. Quid ergo? conjugium id malorū
 fastigium est, quod Deus instituit, natura
 suadet optimus quisq; appetit? sanè si in-
 felix sit conjugium, ita vel illis ipsis, quos
 jam produxim⁹ testibus, O rem amabilē!
 O magni misterii umbrā, quæ res ad hunc
 modū te cōtaminat? Querelas audio mul-
 ta esse huic hydræ capita, & quod infeli-
 cius, succiso uno, repullulare plura. Ac-
 cusant mulieris comptum, libidinem, fal-
 laciā, latratum, gulā, liberorum nequitiā,
 furta, perjuriam, dolos, domesticorum per-
 fidiam, rapinam, luxuriam, Hircorum in-
 sidias & incursum, Caponū conventicula,

C

2

insti-

institorum conspirationes, amicorum
 conniventiam, sc. domesticum & inter-
 num bellum, quod multis annis sub amo-
 ris tegmine geritur. Si quid observare
 tentes, pigmēta videri ut oculis tuis post-
 hac & auribus non credas: si amplius quid
 desiderare incipias, excusationes audiri
 quæ saltem non cordium scrutatori sa-
 tisfacerent: sin omninò emendatum quid
 velis, dari in manus apparens bonum, id
 est infelicitatis tuæ involucreum. Quod si
 ita est, quis contra tot insidiatores, cum
 fidi tui, fidi non sunt? cum caro & ossa tua
 te produnt, cum malum non prius vides,
 quam palam, flagrans & pudorem ac una
 lachrimas tibi eliciens, quibus in sinu enu-
 tritas & laboriose educatas vyperas devo-
 ves? Hic ingenue Hercules suam fatiga-
 tionem agnoscit, & Hidræ astutiam stu-
 pefactus miratur: sic tamen ne impunè
 livorem ferat, & vivo Hercule tot capiti-
 bus superbiat. Fertur in bestiam, & fu-
 riosis ictibus, hac, illac, isthac capita in-
 fausta dispergit, colla nimium foecunda
 face

face

face adurit, successu aliquo, at non perfecto superfit sc. Deo nostro quo confessionem nobis exprimat, non esse contra divinas virgas, ingenium aut artem, sed pro humeris nostris sic imponi crucem, ut premat, & sudorem provocet. Tædiosum est ultra hic morari nos Herculi robur ex animo comprecemur.

CACVS INFERNA-
lis. XX.

Miserum equidem est, cum in contaminatiori mundo Sathanæ omnia plena sint, & cum eo conspirent, ipsum tandem acqui nihil hactenus egisset, in colluctamen prodire. Iam ante turpitudinis suæ, & contra Deum rebellionis imaginem nobis impresserat, fertile sc. omnium vitiorum semen; & cor nostrum summo Deo domicilium debitum, idolis & spurcitie abominabile reddiderat vitiis hactenus dispergendis, de humano genere pessimè meritis, at jam pestilenti sedulitate,

C ; & sce-

& scelerata temeritate planè exhorrescendus est. Deus quippe esse, Imperator, Doctor, nutritor, affectat. Et sunt qui non admittunt, saltem sed intromittunt: Qui negant eius sunt in pietate teporis, eius in vitiis ferventiæ, ut confessionem in ipsa fronte intuearis; Qui repugnant, arma expediunt cartacea, cerea, straminea, quæ eacis ^{animi} vomitus facile consumat: Qui omninò in cathenis volunt, nodos neclut, verba torquent, ignos inflectunt quibus mille artificii faciunt lusum: Qui deniq; inexpugnabiles arces extruunt, nivè agglomerant, stipulas colligunt, vitro muniuntur, omninò securis, quia lina Oachiana nihil negotii. At si què fortè ille viderit mundo ridiculum, sacco indutum, cineribus respersum, lachrimis madidum, virgis cicatricosum, preculis mussitantem, corpore obri-gescentè, silentio marmorum, oculis lynceum, cruce signatum, hunc sibi adversarium agnoscit, hunc regni proditorè, & vere alexiacu. Ridet quidem astutiæ abyssus, & Goliathi in Davidem probra re-
petit

petit: at mallet cum quo non Fidei, Charitatis, Patientiæ, Pœnitentiæ, & precum quinque lavibus filicibus, sed disputationibus syllogismis, aut seculari brachio certaret. Hic admirandum fit certamen: qui omnem scientiam & eruditionem jactat, Verbum Dei exhorrescit: qui adamantina arma ridet, ad crucis frustilla contremiscit: qui Mundi unversas gazas ostentat, ad Christianam nuditatem contabescit: qui maria omnia commovet, sanguinis gutta colliquescit: qui Monarcha orbis audit, granum sinapi obstupescit. Quid ultra conferimus? ille universi terror, Deiq; flagellum, ludus fit Christianorum, & tam prægrandes minæ in flatum resolvuntur. At ò Christe, tua Virtus non nostra est, quæ in hoc cōgressu merum hominem simulat, & Theandrum præstat.

HESPERIDES COGNITIONIS INTERNE. XXI.

ERGO semper adversa, nunquam solatia & in hoc formosissimum thea-

D 4 trum

trum producti sumus bestiis objiciendi, nihil contemplaturi? Imò, imò atq; cunctis quæ Mundus exponere solet elegantiora, si per Draconem illum pervigilem liceat. Ille quondam sapientibus bestialitas dictus nobis verius carnalitas appellandus densa cute aures, oculos, sensusq; omnes obturat, & hirsutos nos, ac in divino emporio stupidos, in deliciarum hortis supremos, reddit: Quo semel solenni illa & sacra renunciatione extincto, ablutisq; sacro oleo sensibus, portæ paradysi sponte iè recludunt, & sigilla Dei dissolvuntur. Ingredere ò beate, & quæ invisibilia tibi nuper nunc oculis collustratione te tui pudet propè fuisse, quod procul quasi veras, tibi adfuisse quod alibi mendicatum ibas, te possedisse, quod magna fatigatione disquirebas, te semen & centrum rerum extitisse, cum alios inepte excuteres. quid ultra agellos alienos, & steriles fodicas? te cole, te puta, te vellica in prædium, in agrum, in hortum, in pulvillum Dei. Quid Zizaniæ pollicitatione-

tatio-

tionum mundi inspicias? hic beneficiorum
 Dei seges est; aut fœnum humani cerebri
 miraris? hic miraculorum Dei flores sunt;
 aut carduos ratiocinationis carnalis æsti-
 mas? hic demonstrationum Dei aroma-
 ta sunt: aut urticas sectarum disquiris?
 hic Veritatis divinæ salubres herbæ sunt:
 aut linum minarum Mundi extimescis?
 hic providentiæ Divinæ umbraculo sunt:
 aut absynthium curarum ventris degu-
 stas? hic certæ saturitatis spicæ sunt: aut
 stipulas laborum congeris? hic lilia beati
 otii sunt: aut nasturtium reformationum
 olfacis? hic rosæ appropinquantis Divini
 iudicii sunt: aut lactucas bibliothecarum
 depascis? hic similago Divini voluminis
 est: aut lacunas umbrarum hauris? hic
 mustum impletionum divinarum est: aut
 exungiam ceremoniarum illinis? hic oleū
 libertatis sacræ est: aut quercus obstina-
 tionis opponis? hic victoriarum Dei pal-
 mæ sunt: aut arbustis temporis te obte-
 gis? hic æternitatis cœlicæ cedri sunt. Vi-
 des nempe ò Hercules quid expugnâris,

C s & quam

& quam vanè tibi mundus objiciat imperitiam. Nam quod diversas habetis linguas, tu humanam, bestialem ille, idem cibus vobis non sapit, & alterius oculis alter desipit. Tibi cultus Dei triuni⁹ mores Christo conformes, corporis dura disciplina, & Naturæ voluntarium servitium, artes, facultates, studia sunt, cum nemine sapientissimorum commutanda.

*CALPE ET ABILA INFAV-
stibinarii. XXII.*

DUm opes suas admiratur Hercules, meritò pro studio in rē Christianorū publicam ad impedimenta respicit, quibus scit felicitatis iter interclusū, viæ vestigia sunt, sed ingentibus saxis obruta: imò qui priustransitū dabant vitiorum virtutumque montes, penitus coaluerunt. ipse sanè ingentilabore montes transcendit, & hortis voluptatum sudore fumigans junctus est, at debiliū jam, & claudicantium miseret. Generosus animus non libenter declinatur absq; sociis, & de pluribus benè mereri

mereri

mereri cupit optim⁹ quisq;. Ergo ad viam repurgādam accingitur: & quo aliter, nisi ad montes iterum dividendos? Præstitit & glorioso exemplo monstravit beatis viatoribus Religionem absq; superstitione, dotes absq; fastu, scientiam absq; libris, abundantiam absq; auro, voluptatē absq; infania, dolorem absq; abjectione, emendationem absq; tyrannide, emendationem absque ira, paupertatem absq; infamia, charitatem absq; cōmotione, inquisitionem absq; invidia, disputationem absq; acerbitate, morbos absq; lamentis, mortē absq; horrore: posse, imò divisa esse debere, quæ male juncta diu. Hic namq; infaustus binarius non juventutis tantum lanugienē. sed senum canitiem obsepit, ne interna felicitatis viridaria petant, sed vel externis sensibilibus scopulis infideāt, vel somniorum cavernis immorentur; tanta interim longinquæ peregrinationis, & acuratæ hortorum inspectionis gloriatione, ut nisi irrites, homines viarum, & locorum peritissimos suspiceris. Sed ecce ly-

dium tibi lapidem, ad quem ambulones illos, sive verius vagantes examines. pulsa, sive offende, si tinniat vacuos crede, & à vanitatis aëre sonoros: sin fileant, solidos scito ac Deo confertos, nam externi sensilis honor, paupertatis intimæ proditor est; at Dei hospitium absq; colorum foris illinimento esse vult, ut non nisi vanitas insignia sua suspendat, Deus verò in cordis angulo latitet. Sed fortasse satius sit, non audire illorum narrationes, aut fabulis credere: accingi verò cum Hercule, ac quicquid etiamnum superest salebrofæ viæ, purgare juvet. Non deerunt nobis comites, imò jam aliqui præiverunt: Sed nec irrisores deerunt.

ATLAS PRÆCVM. XXIII.

I Am dudum fortassis expectatis, quod laboribus Herculeis præmium respondeat, & officio strenui militis perfunctum, quieta posthac & honorata sede excipiat. Sed fallimini. nec enim est mortale quod optat

optat

optat ille. nec visibile quod strenuo athletæ Deus decrevit: quin potius terrenis devictis omnibus, cæli ipsius onus subeat, & tot spirantium creaturarum singultus mitiget. Non sufficit fiduciaria voce astris, elementis, animalibus imperitasse & naturæ impetū distorsisse, nec inter quinque bonos justitiam Dei distulisse, nec inter novi fæderis sacrificatores, ingratae terræ, propitium cœlum exorasse, nisi jam jam ruiturum, & Atlantem depri- mens cœlum eat suffultum. Inter tot creaturarum quærelas, & anxiam libera- tionis sollicitationem, & hominum in blasphemis suis, ac impietate jactantiam, quis credat Herculis humeris cœlum su- stineri, ruinam impediri. sc. qui inutile terre pondus sunt Christiani, orbisq; pur- gamenta, fulcra cœli sunt, & compagis huius universi tenacissimi clavi, ut læsisse eos hîc quidem facile sit ac ludicrū, apud Deum piaculum atq; sacrilegium. Nec excusat ignorare velle, quam Deus inglo- rios hic circumagat, quos sibi habet sa-

C

7

cros,

eros, aut dissimulare conari, quam verba illorū fuerint candentia, penetrātia, convincentia: verè ludibrium gentibus Christus est, judæis scandalū: Christiano-dictis utrumq;: hoc enim ab illis didicerūt, hac & illac elidere Christū. Si de Patria quæras, cœlum est: si de Principe, Christus: si de hoste, Sathan: homines interim lutulentissimi, Antichristianissimi, Sathanicissimi: Miseret eorū, sed & nostri misereatur, qui cœlum nullum appetimus, nisi voluptuariū: nec Christo gaudemus, nisi transfigurato, nec Sathanam odimus, nisi flagellantē: onerosum potius suscipiamus cœlum, crucifixum amplectemur Christū blandientem conspuamus Sathanam. sic decet Christoferos, cœliferos, cruciferos: ut qui omnibus onerib. fuerunt pares, sub pusillo Bethleemitico anhelent, & in usitatum pondus in parvo corpore mirētur. Simul autē cœlum omne circumportent, ac beata cum Deo conspiratione in cœlum ipsi tandem convertantur. Reliquorum sarcinæ, cū satis diu infelices bajulos suos

hic

hic exercuerunt; lassos deniq; & vibicibus plenos, tum inter vanos labores planè rigidos ac compactos, & exinde sublimiori aëri minimè convenientes, ad profundas tenebras demergant.

MORS RENUNTIATIONIS. XXIV.

SI suprema Heroũ notabilia sunt, operæ quidem pretiũ est, audire Herculis ultima verba, eo tempore cum à Deo vocaretur, cum jam Angelorum manib. neterentur victoriarum corollæ, cum jam Sathan, & pellex Mundus frementes retrocederent, masculè prolata. Mors aderat, & ut solet, ac ampliº etiam truci vultu vitæ postremum punctum, corporis ultimum anhelitum indixerat, qui circumstant, exhorrescunt, pars longævitatē quasi debitam Heroi deposcunt, pars necessitatē quæ hunc virũ diutius exigeret opponunt, pars sibi jam jã à monstris magis metuunt. Tũ ille: soror mea, cõtubernalis, beneficia, quid vultũ aliũ sumis, quã q̄ mihi familiaris, aut in re explorata mihi, quid
ludi-

ludibrium facis? Depone larvam, & colloquar de te cum his, dein abeamus. Arrisit Mors, & velut in dolo deprehensa rubuisset, nisi nimum pallida, loquere ait frater, quando ubiq; invictus es. Faciam respondet Generosus noster, non ut tempus trahã aut repetã tibi, quæ multis annis ex me audivisti, sed ut his meis te posthac conciliẽ. Exeo hac vita victur⁹ & pugnaturus amplius, si Deus jubeat; nam quod Deus mandat, hoc simul peragit. Satur sum, & infauſta ac infida habui omnia, præter hanc meam amicã mortẽ: Illa est, quæ me terrenis laciniis exuit, à scoriis repurgavit, à sordibus cribravit, à paleis ventilavit; nunc omnino has tristes exuvias amotura: Corporis flagellum fuit, carnis myrha, calix salutis, voluptatum putredo, Veritatis magistra, vanitatum fuga, adulationum pestis. Ea me fecit pauperem, ignorantem, obscurum, deniq; nihil: Ea mihi salutarem renunciationem præscripsit, & non multis, sed me ipso carere jussit, ea me retrogradum, & oculos devo-

devo-

devolutum, introduxit ad rerū omnium
centrum, miseramq; sic oberrationem
abrupit, ea in sede me locavit, ubi purga-
tis oculis contemplarer omnia, & um-
bras rerum, sive cortices sustulit. Hanc
vobis commendo, nequaquam ultimi sta-
minis secatricem, sed universæ vitæ cor-
rectricem, ut cum huius mola contriti,
huius globis putrefacti eritis, novæ crea-
turæ resurgatis. Satis est. Adamum ex-
pellite, Christum intromittite, & cum
dicto alacris surrexit, moxq; suspensis ad
Memoriæ parietes Augustæ confessionis
armis, satis uti decebat usurpatis, sumpta-
que cādida mixtim & purpurea synaxeos
Christianæ stola, invisus Mundo, dilectus
Deo, desiderabilis suis, coelū patrium
sub ineffabili Angelorum ju-
bilo est ingressus:

Hec

Hæc sunt optime spectator, quæ oculis
 tuis in cartaceo hoc theatro represen-
 tata volumus. Ea sive amorem Herculis,
 sive commiserationem tibi excitarunt, si-
 ve etiam quod valdè dubium imitationis
 ardorem injecerunt, satis est habuisse te no-
 bis non offensum. Si quid hic fuit obscuri,
 cogita te & interpretem & divinatorem
 intronissimum, saltem ne scrupulosum, aut,
 quod maxime deprecamur, suspicacem.
 Ingenuus esto, & quæ tua opinione in equi-
 libris sunt, in eam partem deprime, quæ
 Verior & mitior est, sin inexcusabiles fortè
 sumus, id est homines, cense amanter, &
 audacter scenicos, qui emendari gestiunt.
 deniq; præter lusum nihil esse credito, aut si
 mavis, somnium, quod tibi primum
 perlectum, est tibi nulla offensio-
 ne evanescet.

Vale Spectator,

